



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

III. De constitutione Ecclesiastici magistratus, & Synodis bis in anno
celebrandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

avocamus, utque in iis secundum jura procedatur, Officiali Nostro mandamus.

Cætera, quæ vel ad formam, vel judiciorum ordinem rite peragendum, spectare videbuntur, communicatione cum Capitulo Nostro desuper præviâ, congruo & opportuno tempore proponemus, & proponi faciemus.

DECRETVM III.

De constitutione Ecclesiastici Magistratus, & Synodis bis in anno observandis.

FRustra est legislatio, nisi sit debita semper ejusdem secundum leges secunda executio. Hoc jure, magistratus publicus, cum potestate sibi vel data vel concessa, ad solamen bonorum & correctionem malorum, passim est constitutus; visitationes, consilia Episcopalia, vel Synodalia annua, saluberrima & curiosa Canonum & legum sollicitudine, more majorum, introducta sunt, & observata. Vtrumque adimplere ex Pastoralis debito dum cupimus, visum est Nobis, à constitutione Magistratus, & eorum qui vocati sunt in partem sollicitudinis Episcopalis, ordiri, Vicarium in spiritualibus generalem, Officialem Nostræ Episcopalis curiæ, Sigilliferum, ac Pœnitentiarium, de paterne Nostræ vigilantia, cum potestate cujuscunque certâ & limitatâ constituere. Ad cujus executionem dum, (quod dolenter referimus,) operariorum inopiâ causante, Nos non posse debite pervenire, videmus; id, quod

faciendum fuit & fieri potuit, nulla ratione omisimus, & hoc constitutionis decreto, Nostri Officialatus judicii Commissarium Arnoldum de Lantzperg nominamus; vigilem ei curam, & decretorum observantiam & eorum quæ de jure, quovis modo, ad suum officium spectare videbuntur, commendantes.

Post cujus nominationem, ad interiora Nos convertentes, & salutem animarum satisfacere satagentes, Pœnitentiarium, unum ex Regulâ Fratrum Minorum, nominatione, per Nos faciendâ, Nobis reservatâ, cum potestate absolvendi à casibus, Nobis reservatis, in optima juris forma constituimus, & in Cathedrali Nostra eidem sedem assignamus. De reliquo Ecclesiastico Magistratu constituendo & nominando, dabimus operam, ut primo quoque tempore habeatur firmitas & certitudo.

Finaliter & ad extremum, secundum Canonicas sanctiones & Provincialia Concilia, bis in anno ad minus Synodum celebrari volumus; unam, feria tertia post Dominicam *Lætare*; si autem Festum Annunciationis gloriose Virginis tunc incidat, feria quarta: alteram, post Dedicacionem summi Templi feria similiter tertia. in quibus, quæ ad correctionem disciplinæ vel morum videbuntur necessaria, statuemus. ad quas etiam, de cætero, omnes, sine indictione ulteriori, comparere tenebuntur.

Quoniam vero modo peragendæ sint, proxima feria tertia post *Lætare*, quæ erit Octava mensis Martii, plenius statuemus.

Acta & publicata sunt hæc in Ecclesia Nostra Cathedrali, & solemniter convocata Synodo, xv Octobris, anno à partu Virgineo MDCXXXII, Episcopatum verò Nostorum, Mindensis tertio, Osnabrugensis septimo, Verdenensis tertio.

FRANCISCVS GVILIELMVS,
Episcopus Mindensis.

Locus sigilli.

Hippolytus Franciotus, Canonicus Archidiaconalis Ecclesiæ Bonnenensis, nec non Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Sacellanus major, Magister ceremoniarum, & constitutus Actuarius hujus sacræ Synodi, subscripsit.